

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Prelacio cb cum fonte primo

Sunt quidam qui sciunt et possunt et uolunt preesse, quidam qui sciunt et possunt et nolunt esse, quidam qui nec sciunt nec possunt sed uolunt, quidam qui nec sciunt nec possunt nec uolunt. Scire et posse et uelle caritatis est uel superbie. Scire et posse et nolle humilitatis est uel inercie. Nec scire nec posse sed uelle cupiditatis est et stulticie. Nec scire nec posse nec uelle discrecionis est et prouidencie. Qui enim sciunt, possunt et uolunt preesse, si uelint prodesse, caritatis est alioquin superbie. Qui sciunt et possunt sed nolunt humilitatis est quod renuunt, inercie uero est cum sciant, si omnino desistant. Qui autem nec sciunt nec possunt cupiditatis uidetur quod uolunt stulticie, si uelint quod nec sciunt nec possunt. Illi siquidem qui nec sciunt nec possunt nec uolunt prudenter agunt. Summa enim discrecio est nolle quod non potest, fugere quod nescit.

Hugo de duodecim abusionibus claustrii.

Sunt quidam, qui sciunt, et possunt, et uolunt preeesse; quidam, qui sciunt, et possunt, sed nolunt; quidam, qui nec sciunt, nec possunt, sed uolunt; quidam qui nec sciunt, nec possunt, nec uolunt. Scire, et posse, et uelle, caritatis est uel superbiae; scire, et posse et nolle, humilitatis uel inertiae; nec scire, nec posse, sed uelle, cupiditatis et stulticiae; nec scire, nec posse, nec uelle, discrecionis et prouidentiae. Qui enim sciunt, et possunt, et uolunt preeesse, si uelint prodesse, caritatis est, alioquin superbiae. Qui uero sciunt, et possunt, et nolunt, humilitatis est quod renuunt, inertiae uero cum sciant si omnino desistunt. Qui autem nec sciunt, nec possunt, sed uolunt, ambitionis uidetur esse, quod uolunt stulticiae, si uelint, quod nec sciunt, nec possunt. Illi siquidem, qui nec sciunt, nec possunt, nec uolunt, prudenter agunt. Summa est enim discretio, nolle quod non potes, providere quod nescis.

Hugo de Folieto, *De claustru animae libri quatuor*, 2, 12 (PL 176, col.1058D-1059A).